

Q. K. 352, 46.

X 1881536

26



A. J.
Schediasma,

De

NATURA ET USU
TITULORUM,

QVI

PERSONIS TRIBUUNTUR,

Moderante

DN. M. AD. Rechenberg /

S. S. Theol. Bacc. & Facult. Philosoph.
Assessor.

Fautore suo devenerando,

A. C. M. DC. LXXIV. ad. d. XXIV. Jan.

Eruditorum censurae,

P. P.



ABRAH. CHRISTOPH. Platz /
Lipsiens. Philosoph. Baccal.

Aut. Resp.

LIPSIÆ,

Typis Viduæ JOH. WITTIGAU.

Ry.



V I R O

Nobilitissimo, Excellentissimo, atq; Consultissimo

DN. ROMANO

TELLERO,

J. U. D. celeberrimo, ac Scabinatus Lip-
sienfis Adfessori longè Gravisimo,*Avunculo, Susceptori, & Patrono omni honoris
& amoris cultu, perpetim vene-
rando,*in
gratitudinis tesseram,Multorum in se beneficiorum memor,
Dissertationem hanc

D. D. C.

Abrah. Christoph. Platz/
A. R.



I. N. J.

Natura est homini, naturâ delicata sui æstimatio. Nam licet ex eâdem stirpe descendamus, eodemqve modo nascamur, nutriamur, & moriamur omnes; paucos tamen invenias, qui non ante cæteros sibi arrogant honorem, aut cupiant eminere. Argumento potest esse TITULORUM ambitio, quæ nostrâ tempestate, maxima cepit incrementa. Quotus enim quisque est, quem non titillet titulus honoris, cuius vel nescit naturam aut usum. Quare mihi in mentem venit, non fore abs re, si juvenile exercitium edere hõc de argumentõ conarer, quò constaret, quid in univèrsum de TITULIS habendum sit. Esto igitur cum DEO!

SECTIO I.

De

NATURA TITULORUM.

APHOR. I.

Tituli sunt nomina, quæ in civili vitâ recepta fuerunt, ut Personarum discrimina, secundum æstimationem & statum, designent.

§. I.

Generalis hæc est descriptio titulorum, qui non libris aut epitaphiis, sed personis tribuuntur, quam præmittendam esse censuimus, ut constaret de sumâ argumenti & de quibus Titulis nostra fu-

A 2

tura

tura sit tractatio. Cæterum non solliciti sumus de *Tituli* origine Grammaticâ, an à *tuendo*, an verò à Græco *τίειν* descendat. Etymologistarum hæc cura est. vide sis *interim* D. Gerb. Feltmann. *Tract. de Tit. Honor. l. 1. c. 1.*

§. 2.

Alii appellant *attributa moralia*, quoniam personam, cui adduntur, physicè non afficiunt, aut perficiunt, licet moraliter denominent. Alii *Dignitates* vocant, ob eminentiam vel æstimationem, quam tituli solent indicare.

§. 3.

Nos de his & aliis appellationibus, nemini litem movebimus. Saltem id animadvertendum est, quemvis titulum vel personæ, cui adhæret, *æstimationem* exprimere; vel *statum*, cui in communi vitâ accensetur, notare. Quod, ut patefiat, in sequenti Aphorismo declarabimus.

APHOR. II.

Tituli sunt vel honoris, vel officii.

§. 1.

Sub illis comprehenduntur omnia illa *Nomina*, sive substantiva, sive adjectiva sint, quæ honoris causa, vocabulis personarum, sive nominibus propriis solent adjungi; ut: *Serenissimus, Illustrissimus, Excellentissimus, Reverendus, Strenuus, Clarissimus, Dux, Marchio, Comes, Baro, Nobilis, Doctor, Licentiatus, Magister, Baccalaureus*. Atqui hi aut *qualitatem* in honorato, aut honoris *statum* innuunt, aut utrumque denotant. Utsi quis audit *Serenissimus*, Statui Principum, si *Reverendus*, Statui Ecclesiastico, si *Doctor* Statui Scholastico adjungi censetur. Certum *Statum* honoris in civitate directè designant, qui aliis, quævis Status illius nulla est communio, non tribuuntur. Ut sunt *ArchiDux, Dux, Marchio, Comes, Baro, Eques, & similes*. *Qualitatem* significant tituli, qui nominibus adjectivis ut plurimum sive verunt exprimi: ut *Excellentissimus, Consultissimus, Clarissimus* &c.

§. 2.

Per hos (*Titulos officii*) significamus Nomina, quæ designant munus, quo quis publicâ autoritate, in Ecclesiâ, Scholâ vel civitate fungi-

687
fungitur. Inde tales distinguntur in *Ecclesiasticos*, *Scholasticos* & *Politicos*. Ad illos pertinent apud Papæos, *Pontifex*, (cui apud Turcas similis *Muftius*, apud Japanensis Dairus, apud Græcos Christianos *Patriarcha*.) *Cardinalis*, *Episcopus*, *Presbyter*, *Pastor* & similes. *Scholastici* sunt *Rector*, *Decanus*, *Professor* & similes. Ad *politicos* referuntur *Cesar*, *Rex*, *Electo*r, *Cancellarius*, *Mareschallus*, *Architalassus*, *Praefectus militum*, *Consiliarius*, *Consul*, *Quæstor*, *Senator* & similes.

APHOR. III.

Tituli officii & honoris solennes, qui cum honore *Statum* innuunt, dependunt à summâ potestate civitatis: Cæteri, qui nudam æstimationis significationem habent, à libero hominum judiciô.

§. 1.

UT rerum & corporum attributa à DEO, per naturam produuntur: ita *tituli* ceu attributa personarum moralia, agnoscere debent summum aliquem quasi creatorem, à quo suam habeant originem. Illa est penes summam in civitate potestatem. Hæc fons est dignitatum hujusmodi. Idcirco Politicis, inter Jura Majestatis censetur, potestas conferendi honoris gradus & titulos. Omne quippe, quod æstimari debet ab aliis publicè, derivandum à Majestate, quæ propter eminentiam, uti rebus, ita personis potest pretium statuere publicum.

§. 2.

Sed alii *tituli honoris*, quævis aliqui propter virtutem, in alloquiis ornantur, aut alibi laudantur, ortum à suarum Virtutum æstimatoribus aut adulatoribus trahunt. Valet enim hic, quod pessimus Christianus, solers licet Philosophus, Thomas *Hobbes* ait: *Leviath. de Hom. c. X. Ut in rebus cæteris, ita etiam in hominibus, non ex vendentis, sed ex eminentis arbitrio constituitur pretium. Quanticumque quis seipsum æstimet, tanti tamen est, quanti æstimatur ab aliis.* Atque ejusmodi titulos usus,

Quem penes arbitrium est, & vis & norma loquendi, quandoque auget, non rarò imminuit. Et frustra sunt, qui ne pec-

A 3

cent

cent contra priscum loquendi morem, solliciti antiquas formulas conquirunt. Intemperies adulantium, & quibus inania titulorum nimium placent, mores antiquos parum curant. Novi mores, novos poscunt titulos. Quod olim viro principi satis erat, hodie mediocri scribæ fastiditur.

APHOR. IV.

In titulis *honoris & officii*, non respiciendum est ad originem illorum Grammaticam; sed ad consuetudinem & jus titulorum receptum. Quod tamdiu uni hoc adjudicat, qui publicâ autoritate id consecutus est, aut qui publicè ab omnibus hætenus tulit, donec alius idem juris, eodem consensu vel Principis vel nationum consequatur.

§. 1.

Facit hic aphorismus ad dirimendas controversias, à Clarissimis ingeniis circa titulos, hoc nostro agitata seculo. Et ratio ejus in aperto est. Omnes enim tituli *solennes* vel sunt Principum, aut sunt civium, quibus solum obsequii relicta esse gloria.

§. 2.

Illorum tituli sunt assumti, ex ratione aliquâ singulari, quam consensus aliarum nationum aut Principum illos agnoscentium & attribuentium comprobavit. Ita tituli *Cæsar, Imperator, Augustus, Sacratissimus, Christianissimus, Catholicus, Serenissimus, Potentissimus*, ritu & solennitate à Principibus Europæ frequentari cœperunt: ut mirari subeat, quomodo *David Blondellus*, vir cæteroqui doctissimus, sit ausus ex ritu Lexici & Grammaticorum ratiunculis explicare aut potius sugillare *S. Romani Imperii* titulum. Ita enim in *præfat. Apologet. contra Chifflet. edisserit: Sed Germanos supremum Regionis suæ imperium SACRUM imperium vocare non improbabunt, quibus Germaniam nobile Christiani orbis membrum esse, Christianis Principibus subesse, eoque Christo sacrum imperium esse debere in mentem venerit, sed eodem jure & Franciæ Orientalis & Hispaniæ regna, quorum alterum*
Christia-

Christianissimum alterum catholicum dici solet, Imperia sacra, id est, ditiones ac regna Christi nomine consignata, Deoq; consecrata, ex officio fuerint & nuncupari debuerint. Verum, quàm firma hæc sit assertio, Doctissimus Bæclerus in Dissertat. de S. Rom. Imperio, An. 1663. scriptâ, ostendit. Eâdem infirmitate laborant argumenta D. Feltmanni (lib. cit. c. XXVI.) quæis titulum Imperatoris Galliarum Regi, æquè ac Rom. Cæsari competere, probare nititur.

§. 3.

Hortum verò (civium,) tituli itidem ex consuetudine & solemnitate eorum, qui jus conferendi habent, judicandi sunt. Ita, si vel maximè quis sit præfectus & custos finium constitutus à Principe, non tamen Marchionis sive Marggravii titulum solennem habet: vel si quis doceat alios scientias, non eo ipse Dominus Doctor audit. Atque hoc etiam de titulis accipiendum est, qui per usum, ignominia causâ dantur aliquibus, ut Schuft/ Calmäuser & similes. Valent quippe illi, sicut nummi.

APHOR. V.

Titulos publ. honoris, civitas seu Princeps, aut immediatè aut mediatè conferre potest.

§. 1.

Veritas hujus assertionis ex consuetudine S. R. Imperii constare potest. Nam *maiores honorum titulos ipse Imperator concedit; minores conferre indulget* Academiæ, Cancellariis, Comitibus Palatinis & aliis.

§. 2.

Ad majores referimus, titulos *Regis, Archiducis, Ducis, Principis, Landgravii, Marggravii, Comitis, Baronis, Equitis, Comitis Palatini.* Quos Imperatorem ex jure reservato, immediatè conferre ex historiâ & juris publici Scriptoribus liquet. *Vid. nostri Dn. J. Thomasi Doctrin. Imperii Rom. Germ. Tab. VII. seq.* olim etiam Episcopos, & Abbates (ut Reges Gallia & Polonia,) constituere Cæsar poterat. Sed per tyrannidem Papæ, jus illud immutatum fuit. *Vid. Conring. Dissert. de constitut. Episcop. Germ.*

§. 3.

Minores titulos appellamus alios, imprimis Scholasticos.
Qva

Quales Academiarum Cancellarii & Comites Palatini solent conferre ; Si id juris à Cælare, publicâ autoritate indepti sunt.

APHOR. VI.

Causa, propter quam aliqui titulis ornantur, esse debet, ut virtuti & benè meritis constet honor & præmium. Quandoque etiam gratia principis sola sufficit.

§. 1.

Nimirum valet hîc, quod apud Tacitum πολιτικώτατον l. VI. Annal. c. 8., ait eqves Romanus M. Terentius: *Non est nostrum judicare, quem supra ceteros & quibus de causis extollas. Tibi summum rerum iudicium Dii dedere: nobis obsequii gloria relicta est.*

§. 2.

Sed tamen præcipua causa, quæ Principem moveat ad diribendum honorem, esse debet remuneratio benè meritorum. Hæc prima Nobilitatis origo est, quæ apud Christianos, secus, quam apud Turcas meritò transit ad posteros. Teste enim Busbequio, (Epist. 1. p. 29.) in Regno Turcarum jacet nobilitas, Turcæ neminem, ne suorum quidem, nisi ex se pendunt: solâ domo Othomannorum exceptâ, quæ suis, ob status rationem, censetur natalibus. Benignius Principes Christiani cum suis Nobilibus agunt, quando benè merita etiam in filiis & nepotibus remunerantur.

§. 3.

Ac indè in Rebuspubl. ubi cives inter & Principem pacta intercedunt, quandoque cautum legitur, ne tituli à Principe conferantur promiscuè ambientibus, in præjudicium antiqvæ alicujus Domus aut familiæ. vid. Leopoldi Cæsaris Augusti Capitulat. artic. 44. Augent enim aliquando Principes Procerum suorum numerum, ut sparsa hoc modò invidiâ & æmulatione, inter antiqvos ac novos, sint tutiores; vel ut autoritas eorundem evilescat, quippè in plures diffusa; vel ut sumtuosâ dignitate exhauriant patrimonia. Exempla, quæ sunt aliûs indaginis, non adducam.

APHOR.

APHOR. VII.

Licet Titulos honoris, ambire & impetratos gerere.

§. 1.

Permittit hoc jus divinum & naturæ, nec refragatur mos gentium. Ipse Deus Sauli, Davidi & aliis, Regis titulum indulgit. Nec aliorum titulos modestos carpere Prophetas jussit Christus, Salvator noster unicus. Luc. XXII. 25. Rectores civitatum ipsemet titulo Κερατῶν dignatur. Et D. Petrus 1. Epist. c. II. v. 17. præcipit, Omnes honore prosequi, præcipuè Regem. Id verò & per titulos fieri posse, nemo ambigit. confer Rom. XIII. 7. Quando Christus Matth. XXIII. 8. prohibet titulum Rabbi, seu Doctoris usurpare; Phariseorum fastum tangit, qui Doctoris titulo nimium quantum superbiebant. Illam verò ἀνθρώπων Salvator taxat.

§. 2.

Deindè, cum sana ratio, auctò genere humano svadeat, ordinem & discrimen personarum habere, ne confusione dissolvatur societas; Fas erit per jus naturæ, discrimen illud titulis exprimere. Quò appareat, cujus quisque sit dignationis in civitate. Plinius (Lib. IX. Ep. 5.) Turonem laudat, quòd discrimina ordinum dignitatumque custodierit: Quæ, inquit, si confusa, turbata, permista fuit, nihil est ipsâ equalitate inæqualius. Atque hoc est, quod moribus gentium, quæ cultiores sunt, legitur confirmatum. Justinus habet l. 1. c. 1. Regis titulum principio rerum obtinuisse. Quod verum esse, Moses Scriptor divinissimus confirmat, Gen. XIV. Quos Romani imperio Regibus abrogato (Flor. lib. 1. c. 7.) frequentaverint titulos, erudito commentario docet, Quidò Pancirollus, in Notit. Dignitat. cum Orientis tum Occidentis, ultra Arcadii Honoriiq; tempora.

§. 3.

Nec (si ad Christianos descendamus,) antiqui Ecclesiæ Doctores improbare titulorum honorem voluère, cum se invicem per abstracta compellasse legantur, ut: ἡ σὴ ἱερὰ διάθεσις, ἡ σὴ τελειότης. Gregor. Nazianz. ad Sophronium Præsidem, ἡ σὴ λογιότης, Epist. 19. ad Adelphium, ἡ σὴ μεγαλόνοια Epist. 128. dicebat. Imperatores & Reges audiebant à subditis, Clementia vestra; Τὸ κρείττον ὑμῶν

B

ὑμῶν



μίστηρον, vid. *Reinesf. Var. Lektion. 1. 3. c. 17.* Facundus Episcopus Her-
mianensis l. VI. *Defens. trium capitul. Concil. Chalc. edit. Sirmondi p. 227.*
Ibam Episcopum appellat *Reverentissimum.* Quod contra Andr.
Bodenstein, Joh. Balden, Presbyteri quondam, & aliorum ineptias
notandum duximus.

APHOR. VIII.

Luxus autem titulorum, cum inter cives
præcipuè invaluerit per superbiam, me-
retur corrigi.

§. 1.

Olim Reges fastuosis titulis superbiebant: Darius *rex Regum*
ac consanguineus Deorum (*Q. Curt. supplement. l. 2.*) Alexander
M. Deus, à Jove Hammone genitus dici voluit. *Curt. l. VIII.* Et *Justi-*
nus l. XI. c. XI. Caligula se *Latialem Jovem* salutari permisit, *Sve-*
ton. Calig. c. 22. Domitianus *Dominus & Deus noster*, ut appellaretur
instituit: *Sveton. Domit. c. 13.* Sed omnes miserè tandem perière.
Cyrus monumento sepulchrali, Græcum epigramma, Persicis lite-
ris insculptum reliquit: *ἐνθάδ' ἐγὼ κείμαι κῦρος, βασιλεὺς βασι-*
λῆων. Confer *Briffon. de Regn. Pers. l. 1. p. 153.* Qui sit fastus, titulorum
Regis Persarum & Turcarum legere est apud *Petr. Greg. Tholosan.*
lib. VI. de Republ. c. XI. *Piccart. Decad. VI. Observ. Histor. Polit. c. 10.*
D. Feltmann. Tractat. de Titul. Hon. c. XI. Sed Regum hæc fuit stultitia,
qui dum verâ Dei cognitione fuerunt destituti, vanitatis studiò,
suprà Deum se extulerunt, ut lapsu ruerent graviore, ac discerent,
se nihil esse.

§. 2.

Nostro tempore, cum luxu magis civium crevère tituli. Indè
Principum itidem fuerunt aucti, ut essent vocabula, quæ hi ab illis
discernerentur. *Drexel. Lojolita doctissimus Aurifod. part. III. c. V.*
Jam hoc vitium seculi notavit, *Ingens, inquit, hæc tempestate titulo-*
rum insolentia est & confusio. Incrementis illi mirandis augentur. Jam
etiam in si subsellii viros & strenuos, & Nobiles ac Prenobiles, Illustres,
Perillustres, Gratosos compellamus. Quò demùm altitudinis pertin-
gent? Bernhardi ævo licebat dicere: DOMINE PAPA; Tu
jam de cæteris conjecta. In Gallis Barclajus ingeniosissimus. Icon.
Anim.

Anim. c. III. similem stultitiam notavit: *Exhaurire, inquit, familias, nomina facere, rem fidemq, consumere decorum, dum inter equales emineas vel sterili dignitate, vel pretio furtivorum munerum patrimonii ruinam reparante. Nec dubium, quin illa libido titulorum, nisi ipsa se frangat, curias, tribunalia, prefecturas, tandem sit viliori sanguine angustisq, animis maculatura.* Fastum hâc in parte Itolorum argutè perstringit *Th. Lansius Consult. contra Ital.* Germanorum excessum sugillat antea laudatus *Satyricus, Barclajus Icon. Anim. c. V.* Inter ceteras, ait, cupiditates præcipua honorum libido est. Titulos, ac Nomina per adulantium astus inventa, ad discrimen dignitatum, anxie ambiunt ac tuentur. Neq, ullâ re magis tibi eorum animos concilia-veris, quàm cum arte & honore, compellando. Blandientibus faciles, largiq, honorum, dum majores expectant. Ita callide laudationis fraudem veri simpliciq, gratia remunerantur &c. Aliorum testimonia & scommata non cumulabo hîc, ne videar gentis nostræ dedecus exaggerare velle. Morbus & vitium seculi est. Illud tamen quis miretur, cum omnia, quæ Gallica sunt, aliàs stupeant Germani, aut æmulentur hodiè; cur non quoad titulos illos imitentur. Paucos videas inter Gallos, qui prolixis titulis utantur. Nisi id superbum quis dicat, quòd Regis exemplum sequantur. cuius titulus, si verba spectentur, brevior est quàm cuiusvis hodiè in orbe Principis.

§. 3.

Sed multi vitium esse negant. Inde permittunt cuique pro lubitu ambire & uti titulis. Ast verum id est, de titulis publicâ auctoritate, dignis propter merita collatis. Falsum, si quis ambiat & vanitatis studiò emendicet; ut locum saltem, cæteris habeat priorem, digitoqve monstretur. Quod superbiæ genus frequentissimum esse hâc tempestate, nemo rerum peritus ignorat. Ideò *Dannhauerus* noster, Theologus Optimus, in *Colleg. Decalog. Disput. Decalog. Decim.* in illud non immeritò invehitur: Accessit (ad superbi-
biam,) inquit, novissimum vanitatis genus **Titulomania**, à quo toto pectore abhorrent viri cordati; quod enim facias eo, qui in proximo trans Rhenum rure ignotus, & tamen audit *Clarissimus; Magnificus*, quem urget res angusta domi;
Quam multum vani-res-ea-tatis habet,



Conferri, aut legi meretur heic *Mundi Lapis Lydius* sive *Vanitas per veritatem falsi accusata & convicta*, operâ Anton. à Burgundiâ edit. p. 108. seqq. Ipse Christus loco supra allegato, ob titulorum superbiam Judæorum Doctores reprehendit. Quid ergò vereamur istam ambitionem appellare peccatum. Omnis certè animi elatio, quocunqve demum signo manifestetur, est in vitio, ac peccatum DEO displicens.

APHOR. IX.

Mederi illi morbo possunt, quoad titulos honoris, collatores dignitatum, si non faciles adeò se præbeant petitoribus ambitiosis, ne per indignos illorum pretium vilescat & alatur ambitio.

§. 1.

Nimirum ut in universum, honoris fundamentum censetur esse insignis aliqua præstantia, aut perfectio, aut quæ eandem judicantur arguere; & quidem talem, cujus effectus, cum fine legis naturalis Ecclesiæ aut civitatis commodo congruit: ita tituli honorum testimonia, nemini facile tribui debent, si ea, quæ præstare debet, virtute careat. Argutè id festivissimus *Poëta Taubmannus*, quoad titulum *Doctōris*, tangit:

Doctōr palmare est: sed de palmāndus uterqve est,

Qui *Doctōrem* auro vendit emitqve suum.

Doctrina & virtus pretium est, quo *Doctōr* ematur:

Si res argenti est, morio *Doctōr* erit.

§. 2.

Cùm autem ambitio Titulorum, multos soleat stimulare, legibus opus erit, quæ ambitiosis aditum ad illos honores præcludant. Ne si indignis indulgeantur, pretium eorum apud cordatos, imò vulgum expiret tandem & ambitio foveatur palàm. Notum est ex *Antonii Augustini libro de legibus & Senatus-consultis*, quòd apud Romanos jam olim leges latæ fuerint, quæis ambitus crimen coercitum. Quamvis nunquam satis observatas fuisse etiam constat.

APHOR.

APHOR. X.

Principum tamen titulos, quos more antiquo vel propter dignitatem vel imperium aut juris prætensionem gerunt, nemo temerè fugillare audeat.

§. 1.

Aphorismum hunc addimus propter scommata nonnullorum, qui Principum titulos perstringere non dubitârunt. Ex historiâ superioris seculi constat, ut *Franciscus I.* Galliarum Rex, *Carolus V.* Imperatorem ob titulorum amplitudinem fugillârît. Cùm enim hic ad illum, præmissis Majestatis & ditionum suarum titulis amplissimis, scriberet. *Mordax Gallus*, in Responso tantundem spatii insumpsit repetitione vocis *Gallia*, hoc modò: *Franciscus I. Rex Gallie, Gallia, Gallia*, &c. addito, unum suum Gallia regnum, sufficere omnibus Imperii provinciis domandis. Vid. *Piccarti Observ. Hist. Polit. Decad. IV. c. X.* Aliquando etiam se dixit, *Roy de France & de Geneve*, quod in hoc loco, qui pagus est Lutetia vicinus, optimus coqvatur panis, quo quotidiè regia reficitur. Vid. *D. Feltmanni de Titul. Honor. l. 1. c. 13.*

§. 2.

Petrus Gregor. Tholosanus de Republ. lib. VI. c. XI. n. 13. eâdem ex causa Regem Gallia commendans, simul alios Principes, qui titulis utuntur paullo amplioribus aut multis, pungit. Sed immeritò id factum esse, quivis judicare poterit, qui regni Gallici ab aliorum Principum provinciis & ditionibus non ignorat diversitatem. Galliarum regni provinciæ, quæ uni Regi parent, in unum quasi corpus sunt redactæ. Nam inter Leges regni est, ut quicquid Rex acquirat, id omne Gallia accedat, Coronæque Gallicæ innectatur. Ac inde uno nomine appellantur ditiones. Sed, quæ aliis Dominis subsunt provinciæ & regiones, aut per pacta aut alias rationes, quasi distinctæ respubl. habentur. Inde ut se earum esse supremos Dominos demonstrent, multos & distinctos usurpant titulos.

§. 3.

Deindè si titulis provinciarum utuntur, quas non possident, alias subesse causas rerum periti nôrunt. Nempè vel jus, quod

A 3

habent



habent; aut prætendunt in illas provincias; vel dignitatem suam innuere volunt. Atque id nullum vanitatis argumentum est. Ita Rex Galliarum se *Regem Navarra*, & aliquando in epistolis ad Helvetios se *Comitem Astæ*, *Dominumq; Genuæ*, ob prætensionis jus, dixit. Pari modo ut hodiè multi Principes, usurpant titulos *Ducis Juliae*, *Clivie*, *Montium* & *Comitis Marcae* & *Ravensbergæ* atq; *Ravensteini Domini*, qui tamen illas ditiones non possident. Sabaudiarum Dux Cyprum insulam non habet; sed tamen ob titulum ejus, *Celsitudo Regia*, appellatur. vid. *D. Feltmann. l. 1. de Tit. Hon. c. XXI.* & *D. Hepingk de Jur. Insign. c. XX. Par. VII.*

APHOR. XI.

Non leve est, si Principes aut liberæ Respubl. super titulis quandoque contendant. Interest enim Majestatis, ut, qualis & quanta est, talis tantaq;ve semper agnoscat, sive verba sive scripta spectentur.

§. 1.

Propter vulgi judicium, hoc monere visum est. Illud quippe, dum non satis cognitam habet Majestatis naturam, putat super vocabulis solùm inanibus litem esse. Perindè ut Pseudopolitici non rarò Theologis illudunt, quasi de vocabulis & *μικρολογία* inaniter contenderent, cum dogmata, vocabulis involuta defendunt. Sed nihil hinc tam leve videtur, quod summis potestatibus negligendum. Amittitur, quicquid hinc negligitur. Inferiora Majestate sua accipere & amplecti, nihil est aliud, quàm proprii judicii confessione minorem eam reddere & jugulare. Res non rarò titulis teguntur, & verba sunt rerum locò.

§. 2.

Cum moris esset apud Romanos, ut in literis ad Principes aut Senatum scriptis, inter alia vota continerentur, pro eorum & Respubl. æternitate, proditum memoriæ est, Tiberium eam rem rejecisse & remisisse literas Provincialium, in quibus vota ea erant prætermissa. In eo enim contemptus quidam Romanæ Majestatis credebatur. Ita cum Papa Pius IV. Electori Sax. Augusto, in conventu
Naum-

697.

Naumburgensi mitterat literas, quas vocant brevia, cum hac inscriptione, *dilecto filio, nobili viro, Duci aut Comiti*, non resignatae, in hospitium Legatorum remissae sunt. vid. *Thuan. Hist. lib. XXVIII. ad ann. 1561.* Item Mauritius, Hassiae Landgr. quod *Excellentiae*, non *Celsitudinis* titulo à Magno Hetruriae duce salutaretur, aegre tulit. vide *D. Theod. Hoëpingk de J. insign. c. XXII. §. V. fol. 1033. seq.* Simili modo hoc nostro tempore iniquè tulit *Carolus Gustavus* Rex Sveciae, quod Poloni, titulos avito jure, debitos sibi denegarent. De Belgis foederatis habet *Boxhornius in disquis. Cas. XXVII.* quod Caesaris literas *Credentiae* (quas vocant) rejecerint, in quibus horum tituli haec rectè satis expressi, aut iniqui continebantur, praesertim cum ut *Vasalli Imperii Caesari & S. R. Imperio Fideles dilecti* inscriberentur.

SECTIO II.

De USU TITULORUM.

APHOR. I.

De

Titulis Ecclesiasticis.

§. 1.

Qui ecclesiae inserviunt, dicuntur *ecclesiasticos* habere titulos. Horum aliqui sunt antiquiores, aliqui recentiores. Quorum illi sunt simpliciores, hi plus splendoris habent.

§. 2.

Ad antiquos pertinent tituli *Sacerdotis, Prophetae, Scribae, Rabbi seu Doctoris*, quippe in V. T. usitatisimi. In N. T. frequentata fuerunt primum Nomina *Apostolorum, Evangelistarum, Doctorum, Prophetarum, Presbyterorum, Episcoporum, Diaconorum & similibus*. Quae Dn. Praeses in *Dissertat. de Grad. & Titul. Ecclesiast.* antehac tractavit.

§. 3.

Praeter hos, successu temporis, formato Ecclesiae statu & regimine, multò plura leguntur inventa honoris vocabula. Quis enim, si scriptores Ecclesiasticos vidit, titulos *Patriarcharum, Metropolitanorum, Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Hypodiaconorum*
Lecto-

Lectorum, Acoluthorum, Exorcistarum, Ostiariorum, & similium, ignorat?

§. 4.

Qui recentiores sunt tituli, distingvi possunt, doctrinae causa, in eos, qui aut officium denotant, aut dignitatem innuunt & honorem; aut utrumq;. Illi ut plurimum, nominibus substantivis; hi verò adjectivis exprimi soverunt.

§. 5.

Summus inter Ecclesiasticos, qui officium designat simul & honorem, moribus temporum est Papæ & Pontificis titulus. Quorum Prior Patrem sonat. Qui antequam Episcopus Romanus, ad id fastigii, quod jam tenet, grassatus esset, præsulibus majoris dignitatis fuit communis; hodiè eidem proprius. Alter verò ex imitatione sacrorum gentilium assumtus est. Quippe Pontifex sacrorum apud Romanos olim, ceu antistes curam gerebat. Cæterum quæis prætereà gaudet titulis, parasitus vanissimus Abraham Bzovius commentar. ad Sigism. III. Polonia Regem, Colonia Agrippinae A.C. 1619. impresso, tradit. Titulus Beatissimus atque Sanctissimus olim Imperatoribus proprius, Papæ propter dignitatem & virtutem à suis asseclis tribuitur. Quo jure heic disquirendi locus non est. Vid. Quid. Pancir. Thesaur. var. Lectio. l. l. c. l.

§. 6.

Proximi à Pontifice, quoad gradum & titulum, sunt Cardinales. Quorum nomen est à Cardine. Videlicet quod ipsis Pontificia administratio tanquam firmis Cardinibus innitatur: vel quia, dicente Ottone Frisingensi, per illos, tanquam Cardines, universalis Ecclesia volvitur axis. Aut, ut habet Siculus Andreas, cognomento Barbatius: sicut ostium regitur cardine, ita & Ecclesia Romana regitur consilio Cardinalium. Nomen antiquum est, & origine adjectivum, usu tamen substantivum factum est, ut alia plura. Quibus olim attributum fuit, eorum successores, id hodiè non habent; qui verò habent, alterius cujusdam generis sunt. Vid. Doctissimi Freinsheimii Diatriben de S. R. I. Elector. & S. R. Eccl. Cardinal. Præcedentia. Ob dignitatem, quam à Papâ in Ecclesiâ Romanâ proximam habent, appellantur Eminentissimi.

§. 7.

*Archiepiscopi dicuntur quasi ἀρχοντες τῶν ἐπισκόπων. Quo-
niam*

699.

niam secundum jus Canonicum, sunt unius provinciae Episcoporum Principes, & praesules. Non tamen (observante Dn. Zieglero in Not. & animadvers. ad Lancelloti J. C. institut. l. 1 tit. V. §. 2. p. 31.) nomen hoc semper eundem dignitatis gradum denotavit. Hujus dignitatis viris, titulus honoris accessit, *Reverendissimus*, qui, ut autor est *Aventinus Annal. Boj. lib. III. p. 291. & 295.* à Gregorio & Zachar. Pontif. Archiepiscopis Germ. seculo VII. fuit adscriptus. Rarò autè per tempora sequentia legitur tributus. Sed cum seculo XIII. à secularibus Principibus ambiretur, illi iterum, *Reverendissimi in Christo Patres*, vulgò *Ehwmürdige in Gott Väter* / R. A. de ann. 1356. in princip. & postea die *Hochwürdigsten in Gott Väter* / fuerunt salutati. Confer de Tit. Hon. Dissert. inaug. Job. Helffreich Cloz. Giess. Hassorum Anno 1671. habit. c. V. §. 2. p. 41.

§. 8.

Episcopi titulus, non quidem novus est, novas tamen personas & officii partes, ut alia vocabula, in Papatu designare coepit. Quod tangit *August. Confess. Abus. VII. de potestate Eccl. & confirmat Gramondus lib. II. Hist. Gall. p. 144. seq. inqviens: Ille, cui ex officio incumbit cura pascendi gregis, vixq; sui memor, meditat ur quodlibet aliud, & qui Episcopus est, sepe gulonem agit, venatorem, aut aulicum quandoq; mensarium. Sic illi vita traducitur convivis, venatione, luxu aulico, avaritiâ, ut sua quemq; voluptas trahit: rara pascendarum ovium cura Episcopo, cui pro ovili aula est.* Nomen ab *Ἐπισκοπέω* acceperunt, quod gregi cui praesunt, attendere debeant. *Act. XX. 28.* Inde Latinis *Superintendentis* titulus factus, qui tamen, si ulum respicis, multum ab *Episcopi* nomine & honore differt. Titulus quo dignitas & aestimatio horum exprimitur, est *Reverendus, Reverendissimus, Würdiger/Hochwürdiger.* Cæterum quomodo constituentur, distinguantur aut quid juris habeant, huc non pertinet. Vide sis Dn. *Conringii Exercit. de constit. Episcop. Germ. & H. Grotii de imper. Summ. Potest. circa sacra c. X.*

§. 9.

Chorepiscorum nomen Dn. Praeses in *Dissert. I. de Tit. & Grad. Ecclesiasticis* exposuit. Officio abrogato, titulus penes Pontificios mansit. Qui talem habet, magno Episcopo, quandoque si requiritur, ministrat. Inde & Presbyteris, eos æquales esse *M. Antonius de Dominis docet de Republ. Eccl. l. II. c. IX. §. 20.*

C

§. 10.

§. 10.

Presbyteri in officio ac dignitate *Episcopis* & *Pastoribus*, quoad primam institutionem pares censentur. Quare Ignatius hos *συμβέλλας & συνεδρευτάς* *Episcopi* appellat, Confer *H. Grotii. libr. de Imp. Summ. Potest. circa sacra c. XI. §. 14.* & *Blondelli de Episcop. & Presb. Apolog. pro sentent. Hyeron.*

§. 11.

Abbas quoad notionem *Patrem* sonat. Quod nomen, ex sacra lingvâ petatum, præ cæteris placere cœpit, qui aut *Ecclesiæ* aut *monasteriis* præficiantur. A Græcis olim *Archimandritæ* vel *Cœnobiarchæ* dicebantur. Et qui nunc apud *Dominicanos* vocatur *Prior*, apud *Franciscanos* *Guardianus*; apud *Trinitarios* *Minister*, quondam appellabatur *Abbas*, vid. *Dn. Ziegleri Jus Canon. explicat. p. 532.* & *Hospin. de Monach. l. IV. c. V.*

§. 12.

Titulus *Præpositi Ecclesiæ* à castrorum *Præpositis* derivatus fuit. In Rom. enim Imperio erant *Duces* vel *Comites*, militibus in provinciâ, præsidii causâ degentibus præfecti: singulorum verò castrorum militibus præfecti, vocabantur *Præpositi*. Officium eorum appellabatur *Præpositura*. Horum exemplo alicujus *Ecclesiæ* præfecti dicti fuêrunt *Præpositi*, Græcè *πρεσβύτερος*. Quoniam milites *Ecclesiæ*, h. e. *Clericos* tueri præsidio jubebantur. Vid. *Quid. Panciroll. Thes. V. L. lib. 1. c. 85.*

§. 13.

Nomen *Prelatorum* ejusd. muneris dignitatem exprimit: notat enim clericum, qui cæteris in Collegio dignitate præfertur, ut *Præpositus*. Vel, describente *Zieglero*, *Praelati* propriè dicuntur omnes illi, qui ordinariam in *Ecclesiâ* jurisdictionem habent, sive *Episcopi* illi fuerint, sive inferiores. Latè & minùs propriè etiam illi, qui in *Ecclesiâ* sine jurisdictione, prærogativam & honorificum gradum habent.

§. 14.

Canonici, nomen indepti sunt à *canone*, id est, regulâ, quod & juxta regulam vivere & docere, imò vitâ suâ cæteris vivendi normam præbere debebant. Atque inde est, quod *συνεχόμενον* nonnullis videtur illa distinctio, in *Canonicum regularem* & *irregularem*, cum primæ institutioni id parùm videatur convenire. Vid.

M. An-

701.
M. Anton. de Dominis de Republ. Eccles. l. II. c. 8. §. 7. Quales hodiè sint cum experienciâ, do cent duum Viri nunc beati, DD. *Himmel. de Canonic. Tract. & Hoepfner. in Saxon. Evang.*

§. 15.

Decani titulus est vel à *decem*, vel à *decuriâ*, cui ille præfectus fuit olim. Hinc *Belethus Ration. divin. officior. c. XII.* ait: qui decem in potestate habet, appellatur *Decanus*. Idem colligi potest ex epistolâ *Hieronimi ad Eustochium de custod. virgin.* vid. *Hospin. de Monach. libr. IV. f. 105.*

§. 16.

Minoris dignitatis tituli apud Pontificios *septem* recensentur. *Sacerdotes* videlicet, *Diaconi*, *Subdiaconi*, *Lectores*, *Acoluthi*, *Exorcista*, & *Ostiarii*. *Casalius de veter. sacr. Christ. rit. c. XXVII.* horum originem ex institutione Leviticâ V. T. satis ineptè derivat. An aliî convenientius cum *Thomâ*, hosce ordines, ad gratias, gratis datas (quas ex I. Cor. XII. docent,) aptent, nostrum heic non est judicare. Quando igitur, aut à quô introducta fuerit ordinum aut titulorum ista distinctio, non satis patet; nisi quòd *Cajum Pontificem* autorem ejus rei faciant. *Platina & alii.* Vid. *Æn. Sylvii l. 1. Epist. 288. Opp. fol. 801. Marc. Anton. de Domin. de R. E. l. II. c. IV. §. 67. & Dn. Ziegler. J. C. cit. p. 146. B. D. Dannh. Christeid. p. 851.*

§. 17.

Haecenus titulos Ecclesiasticos in Papæâ Ecclesiâ potissimum, usitatos vidimus. Restat ut *συντόμως* persequamur, qui in Ecclesiâ Lutherana, præcipuè adhibentur. Sunt illi non multi adeò, ut apud Pontificios, qui cum diffusò Ecclesiæ imperio, variè multiplicârunt titulos.

§. 18.

Præcipuus apud nos est titulus, *Præses* sive *Præsidentis*, qui *Consistorii* sive Ecclesiastici *judicii Directori* est proprius. Occurrit autem ille in antiquissimi *Patris Tertulliani* scriptis non semel, & idem est ac *Episcopus*. Indè *Cyprianus de Ecclesia unitate*: Quam unitatem tenere firmiter & vindicare debemus, maximè *Episcopi*, qui in Ecclesiâ *præsidentur*. Et sæpius *πρεσβύτερος* dicuntur, Græcis, ut *Justino & aliis*. Item τῶν λόγων πρεσβύτερος apud *Eusebium* l. VII. c. 13. Confer *Blondell. de Episcop. & Presbyt. Apol. pro sentent. Hieronym. & Desiderii Heraldi commentar. in Apolog. Tertull. p. 156, sq.* *Baronius*

tamen nimium, more suo, extendit vocabuli hujus significationem: Nam teste *Casaubon. in Prolegom. ad Annal. exercit.* axioma ejus est: Præsidibus provinciarum *præsidere* Episcopos, qui jus habeant sententias illorum rescindendi, si ipsis libuerit.

§. 19.

Præsidentibus subordinantur *Consilarii Ecclesiastici, Superintendentes, & Inspectores*, qui cum Episcopis veterum multa habent communia. Differunt tamen maximè à modernis Episcopis; cum hi jura, quæ vocant, Episcopalia plenè habeant; illi verò solùm aliquas prærogativas, inter Pastores possideant, quod tralatitium est. In Galliâ primarius rerum filci atque ærarii administrator *Superintendens* audit. Vid. *D. Feltman. l. 2. c. XXXVI.*

§. 20.

Titulus *Pastoris & Diaconi* pro locorum diversitate variat. Atque id est ab ordinatione & institutione Ecclesiæ, quæ ubivis locorum est attendenda, si de titulo officii judicandum. Falluntur enim, qui illos æstimant ex primâ institutione, ubi magis τῶν βιωτικῶν curatores erant Diaconi, quàm Presbyteri & Oeconomi mysteriorum divinatorum. Vid. *B. D. Dannb. Hodosoph. Christian. Phenom. II.* Hodiè paria ferè munia obeunt cum Pastoribus; quippe σύνεργοι ἴα̃ perinde ac illi. Quidam inter Reformatos, nescio quâ modestiæ laudemoti, malunt audire *Servi J. Christi* aut *Ministri verbi*; cum tamen hæ appellationes parùm aut nihil ab illis discrepent. Nec satis causæ videtur esse, cur alii antiquis titulis fastiditis, usurpent **NOVOS.**

APHOR. II.

De

Titulis Scholasticis.

§. 1.

Tituli *Scholastici* cum institutione scholarum cœperunt frequentari. Cum verò hæ vel sint Judæorum, vel Christianorum, tituli etiam vel sunt Judaici, vel Christiani. *Priores* (ut רבי Rabbi sive Doctor, מורנו Doctor Theol. sive eximius, qui alios Rabbinos eminet, & dici posset stylo Talmudico נשיא בכל מקום princeps in omni loco, & similes, vid. *Buxt. Synag. Judaic. c. XLVI. & P. Cunailibr. 1. de Republ. Ebr. c. 12.*) prætermittimus. *Posteriores*, (Christiano-

stianorum;) extractis in Europâ primùm Scholis publicis, à sum-
mis Potestatibus fuerunt ordinati; quò laudis cupida juvenus, ad
literarum studia accenderetur magis. Sunt verò illi vel officii vel ho-
noris indices.

§. 2.

Officium innuunt *Cancellarius, Rector, Decanus, Professor, Ante-
cessor, Assessor Facultatis, Collegiatus*. Quorum officia & discrimina,
exponere hîc nimis prolixum foret. Vid. interim *Thom. Lans. com-
ment. de Academ. Ft. Jac. Middendorp. de Acad. & Joh. Limnei J. P.
I. R. lib. VIII.*

§. 3.

Honoris tituli sunt, qui statum & virtutem hominum de scholâ
indicant. Atq; tales iterum vel *solennes*, nominibus substantivis ex-
pressi; vel *minus solennes* ab æstimatoribus illorum graduum ac vir-
tutum inventi ac adhibiti. Ad illos referimus Nomina *Doctorum,
Licentiatorum, Magistrorum & Baccalaureorum*. Quorum & ori-
ginem & usum præter *Middendorpium*, tradit *Lansius comment. de
Academ. & alii*. Ad hos, pertinent nomina virtutis & statûs alia, ut
sunt *Magnificus*, (Rectori proprius,) *Consultissimus, Spectabilis*, (hic
Decano Facult. Phil. mansit proprius,) *Amplissimus, Excellentissimus,
Clarissimus, Eximius, Doctissimus, Præstantissimus, Ornatissimus*. Quo-
rum usus, qui nunc obtinet, longè diversus est à vi & usu vocabulo-
rum antiquo. Quare si morem priscum loqvendi, quis attenderet,
multi titulis, quæis ornantur, hodiè carerent. Verùm consuetudo,
ut aliis rebus, ita & titulis per mores hominum, vim inferre potuit.
Quam si quis reformare auderet, multorum, præcipuè quos vanitas
ista delectat, iras haud dubiè provocaret. Pergamus ergò potiùs
ad *Titulos Politicos*, quorum multò plures dantur, quàm Scholastici.

APHOR. III.

§. 1.

Supersunt tituli, quos differentiaè causâ appellavimus *Politicos*.
Hi vel sunt *Imperantium* vel *Parentium*: Utrorumque, aut offi-
cium aut statum & æstimationem Personarum, quæ illos habent, decla-
rant. Atque hos ob brevitatis studium jungemus.

§. 2.

Summæ in orbe Christiano, dignationis titulus est *Imperator*.

C 3

Qvi



Qui ante Jul. Cæsarem aliis quidem fuit communis; sed postea illi, perpetuo Dictatori creato & ejus successoribus legitur impositus tanquam proprius. Huic æquipollere cœpit, *Cæsar*, quod nomen proprium fuit primo Imperatori Julio; postea cum dignitate transiit ad successores. Ad hujus Majestatem indicandam deinde alia Nomina fuerunt adhibita. Qvalia sunt, *Augustus*, (quod cognomen Jul. Cæsaris successor Octavianus assumpsit primum: ab hoc deinde & alii fuerunt appellati Augusti:) *Dominus*, (quo titulo appellari voluit C. Caligula & alii, contra Augustus, Tiberius, ut est apud Svetonium, illum respuerunt.) *Optimus & Maximus*, (quæ cognomina Trajano à S. P. Q. R. leguntur adjecta apud Plinium in Panegyri.) *Sacratissimus*, (ob magnitudinem Majestatis & Personæ dignitatem,) *Inviçtissimus*, (ex voto, ob imperium duraturum,) *Gloriosissimus*, (ob amplissimi imperii gloriam,) *Divus*. (stylò Ethnico magis quàm Christiano,) vid. *Joh. Limnai de Jur. Publ. R. Imp. lib. II. c. 1.* Olim etiam aliis titulis, qui hodiè multis Principibus sunt communes, ornatos fuisse Imperatores, præter *D. Hæpnigk, loc. cit. Dn. Kloz. in cit. disp. inaug. proluxè tradit.* Quos transcribere supervacaneum videtur.

§. 3.

Regis titulus Principibus, qui regna habent, tribuitur. Inter Europæos Reges Galliarum Monarcha gaudet simul titulo *Christianissimi*, ob defensum, (ut ajunt,) nomen Christianum. Quem titulum cum Ludovic. XII. Julius II. auferre & Henrico IX. Angliæ Regi, conferre vellet, Rex obstitit. Sunt tamen alii, qui eundem honorem Cæsari, ut Ecclesiæ advocato vindicant. vid. *Klozium l. c. p. 29. & Feltn. lib. cit. 44.*

§. 4.

Hispaniæ Regibus *Catholici* titulum, ob id impositum fuisse fertur, quòd non solum jurent, se fore Catholicos, sed quòd nullum etiam Catholicum (id est, per abusum vocis, non Pontificium,) in amplissimo Regno tolerare velint. Hunc titulum, diu ab Alphonsò Castellæ Rege (qui ab Innocent. VIII. eò insignitus fuerat) intermissum, postea Ferdinandus Arragonius, Hispaniæ Rex, à Julio II. Pontifice, enixis precibus rursus impetravit & omnium Regum Hispaniæ hæreditarium fecit, vid. *Spondan. Epitom. Annal. Baronii A. C. 638. fol. m. 688. & A. C. 738. fol. 739.*

§. 5. An-

§. 5.

Angliæ Rex Henricus VIII. titulum *Defensoris Ecclesie* à Papâ nanciscebatur, quod Pontificiam religionem, scripto contrâ Lutherum edito defenderat. *Feltmannus l. c. c. 46.* Regibus Britanniaë, licet non amplius Pontificiam tueantur religionem, id nominis tamen deberi contendit.

§. 6.

Communes, omnibus Regibus Christianis, tituli sunt, *Dei gratia, von Gottes Gnaden / Serenissimus, Durchleuchtigst / Potentissimus, Großmächtigst / & Majestas.* Primum usurpatum fuisse titulum, abs Imperatoribus, ad significandam Potestatis suæ originem, ex historiâ liqvet. Postea Reges, Principes, imò Comites se *Dei gratia, (von Gottes Gnaden /)* appellare cœperunt. *D. Feltmannus lib. cit. c. 57.* contendit eundem titulum, vindicare ordinibus liberæ alicui Reipubl. veluti Venetæ, Belgicæ & Helveticæ. *Alter titulus (Serenissimus)* olim etiam Imperatoribus solùm competebat: nunc cum Regibus & Principibus aliis fuerit tributus, Imperatores *Omnium Serenissimi* Germanicè, ad aliorum differentiam, salutantur *Aller Durchleuchtigst.* Quam appellationem tamen seculo XIII. jam cœpisse suspicatur antea laudatus *Klozius l. c. p. 30.* Rex Galliarum aliquando hâc de causâ titulum *Serenissimi* sprexit; ne vel inferior Imperatore, aut par Principibus Germaniæ videretur. *vid. Feltman. l. c. c. 4. n. 8. & c. 47. num. 4.* *Tertius (Potentissimus)* à Cæsaribus ad Reges, ab his ad Principes, qui potentiâ pollent, dehinc pervenit. Imperator, ut ejusdem *ἐξοχή*, præ cæteris Regibus notetur, Germanicè *Allergroßmächtigster* sœvit salutari. *vid. Kloz. l. c. p. 33.* *Quartus est Majestas & Majestât /* in abstracto primùm Imperatores, deinde Reges ob summam potestatem itidem fuerunt salutati, *conf. Limnei de J. P. R. l. l. IV. c. VI.*

§. 7.

Cùm à Regibus, proximum locum teneant in Imperio Romano Germ. Principes *Electores*, cum iisdem *Serenissimi ac Potentissimi* ferè appellantur. *vid. Limn. l. c. l. III. c. 2. Kloz. dissert. citat. pag. 49.* Olim *Celsissimi Hochgebohrn /* perindè ac Imperatores dicebantur. Tituli verò illorum *Officiales*, quando quâque occasione in Imperio Germanico cœperint Electoribus imponi, docet illustris *Conring. Dissert. de officialibus Imperii Romano-Germanici, Anno 1669. Respond. Cons.*



706 QK Tm 547

Contr. Fridr. à Burgstorf. Helmstadii edita. vid. B. Bœcler. Notit. S. R. Imperii lib. VI.

§. 8.

Pergendum esset ad Titulos *Principum, Archiducum, Ducum, Landgravorum, Marchionum, Comitum, Baronum, Nobilium, & Equitum*. Verùm cum hæc dignitatum nomina fusè ab antea laudato Bœclero in *Notit. S. R. Imper. & D. Hepingk lib. cit. c. XXII. & Linnæo lib. IV. c. 1. 2. sq.* fuerint explicata; nolimus actum agere aut aliorum scrinia compilare. Optârim tamen videre librum, de *Titulis Honoris* à doctissimo *Job. Seldeno* editum, quem citat *Hobbes in Leviath. de Hom. c. X. p. 49.*

§. 9.

Nomina officiorum, quæ cum negotiis in Republ. & aulis Principum fuerunt multiplicata, fortè non incommodè hêic tradi possent, nisi prolixitatem vitare, mos disputantium requireret. Quapropter missis illis, unâ cum titulis dignitatis, apud Germanos hodiè receptis, telam Dissertationis abrumpo. Qui plura de his cognoscere avet, præter autores allegatos, *Job. Christoph. Becmann. Meditation. Politic. Dissert. XVI. & Jac. Gutherii libr. de officiis Dom. August. Publ. & Privat.* conferre potest. Deo interim, à quô verus honor est, soli sit laus honor & gloria!

COROLLARIA.

1. Quæ de Puellâ Aurelianensi, *Johannâ d' Arc*, vulgò referuntur, fabulas sapiunt.
2. *Margaretam Comitem*, cujus epitaphium, (quod in cœnobio, semileuca ferè ab Haga distitò visitur,) exhibet *H. Grotius, descript. Holland. p. m. 290.* enixam esse, uno partu 364. liberos, omnes vivos, partim masculos, partim fœmellas, non videtur credibile.
3. Consilium, compescendi luxum, ex *Aristotelis lib. II. æcon. p. m. 593.* peti potest.
4. Quærere, an Adamus in statu integritatis comam aluerit, aut attonderit? frivolum est ac curiosum.
5. Hæreticum, vi ad religionem, in Ecclesia Christiana compellere aut cogere, est *ἑομαχέιν* & sanæ Politicæ contrarium.
6. Color nivis est realis.
7. Cum tonat, avertendæ tempestatis gratiâ, non sunt pulsandæ campanæ.
8. Ante diluvium bella fuisse gesta, probabile est.
9. Lutherus fuit insignis Philosophus, licet Aristoteli infensior.
10. Quæ per ignorantiam invincibilem patrantur, imputari non possunt.

•••(0)•••

VDT

684.

DI

J.U.

AVM

Consultissimo

ANO

,
abinatus Lip-
avisimo,

o omni honoris
n vene-

m,

in memor,

ph. Platz/

